1860

QUAE IN ARTE OBSTETRICIA FACTAE OPERATIONES INSTRUMENTALES PRORSUS SINT REJICIENDÆ.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XVIII. M. JULII MDCCCLX HORA XII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS JOANNES JACOBI
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
GUALTERUS FRANKE, MED. DR. PRACT.
HUGO AB HAXTHAUSEN, DR. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

A. HOHL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII DIRECTORI EQUITI P. P.

PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI

HASCE PAGELLAS PRO GRATIOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Gloriae atque honoris cupiditatem ipsos apud litterarum studiosos saepissime inveniri, profecto nemo erit, qui ausit ire infitias. Sed quomodo aliter esse potest, siquidem tanta commentariorum diurnorum et libellorum copia cuique opportunam praebeat occasionem nominis sui ut auctoris alicujus cognitionis aut inventionis divulgandi? Atque haud difficile est ad intelligendum, cupiditati isti novarum rerum, inventionum, instrumentorum stultissimorum hodie admodum satisfieri, ita ut litterae atque artes non modo ineptiis non purgentur, verum etiam semper augeantur. Quid omnis theoria, quid cognitio methodorum innumerabilium, si medicus propter rerum inanium atque inutilium copiam medicinam optime sanantem non vidit, si tempore agendi dubius in tanta rerum medicarum copia circumspicit? Ac quum in pathologia, therapia, aciurgia, tum imprimis etiam in doctrina de operationibus artis obstetritiae quaedam invenimus, quae pror-

sus sunt rejicienda. Itaque operae pretium esse mihi visum est, brevem quandam censuram scribere earum instrumentalium operationum artis obstetriciae, quas omnes, qui artem obstetriciam sane ac rationaliter profiteantur, prorsus rejicere ac repudiare contenderim.

Methodi partus arte praemuturi efficiendi.

Si primum varias istas methodos partus arte praematuri efficiendi consideramus, repletionem vaginae per „Tampon", irritationem reliqui ab uteri cervice et portione vaginali, consensuales irritationes a mammis prorsus rejicere debemus. Ac prima quidem rudissima illa repletio vaginae per „Tampon", quae res jam a veteribus ad abortum efficiendum adhibebatur, et contra quam illud Hippocratis jusjurandum vehementissime agit, anno 1842 a Schöller [1]) in earum numerum methodorum partum arte praematurum efficiendi introducta est. Quae methodus non modo incerta est, neque apta, verum etiam ab omnibus gravidis sustineri non potest. Et quamquam Tampon ut irritatio mechanica statim uterum afficit, et nervis colli uteri affectis, motiones irritatione effectae oriuntur, quae paullatim auctae in partes dolores formantur, quamquam quidam medici artis obstetritiae Heidenreich, Busch, Kilian, Schöller, Credé multi alii „Tampon" prospere adhibuerunt, aliique methodum a Schöller effectam simpliciorem reddere sunt conati, quorum in numero est Hüter [2]), qui loco „Tampon" vesicam vitulinam episto-

1) J. Schöller, die künstliche Frühgeburt bewirkt durch den Tampon. Berlin 1842.

2) Daniel, Dissert. de nova partus praematuri arte legitime provocandi methodo. Marb. 1843. 8.

mio instructam in vaginam introductam calida aqua impletam commendat et C. Braun [3], qui vesicam ex Kautschuk factam etiam meliorem esse affirmat, plurimi tamen medici artis obstetritiae repletionem vaginae per „Tampon" ejusque modificationes effectum habere negaverunt, ita ut Haase, Betschler, Haselberg, d'Outrepont, E. v. Siebold, Ziehe, Hohl alii meliora remedia partus arte praematuri auxilio vocare coacti essent, qui quoque experiebantur repletionem vaginae per „Tampon" admodum dolorosam et gravidis in longum tempus intolerabilem esse operationem, quae ipsa, quod Kilian, Betschler, v. Siebold observarunt, spasmicam irritationem et inflammationem vaginae efficit facile figmenta vicina afficientem et spem boni partus paene delentem, et partus dolores, quod ipse Schöller expertus est, in spasmicos format dolores, quod facile potest accidere, quum, si inferius segmentum uteri irretetur, vagina per, Tampon aut per vesicas violenter semper expandatur, quare vesica quoque urinaria atque rectum afficiuntur. Partus autem dolores prospero etiam eventu sedecim horas usque ad spatium septemdecim dierum durantes, et mater et medicus patientiam ut amittant, efficiunt. E. a Siebold in libro suo de arte obstetritia de impletione vaginae per „Tampon" haec dicit:

Ich habe in zwei Fällen zur Erregung der Frühgeburt mich der Tamponade bedient: einmal nach der Schöller'schen Methode 1842, das andre Mal 1853 nach Brauns Anweisung. In beiden Fällen sah ich mich genöthigt, den Pressschwamm zuletzt doch noch zu Hilfe zu ziehen, kann aber beide Methoden als Vorbereitungsmittel

---

3) C. Braun, Erfahrungen über eine neue Eröffnung des Fruchthältermundes. In der Zeitschrift der k. k. Gesellschaft der Aerzte zu Wien. 7. Jahrg. Juli. Wien 1851. S. 527.

rühmen. Ich darf aber nicht die zu grosse Schmerzhaftigkeit der Tampons verschweigen, so wenig als auch die nach der Colpeuryse eingetretene Endometritis, welcher die Operirte im Wochenbette erlag, obgleich ich nicht das „post hoc ergo propter hoc" behaupten will. Vergl. neue Zeitschrift f. G. XIX. B. S. 21, wo ich den ersten Fall (die Schöller'sche Methode) beschrieben habe.

De ea re Tampon orificio uteri haud multum aperto ad praeparationem magis mitigatarum methodorum partus arte praematuri aptissimum esse, omnes fere, qui artem obstetritiam profitentur, consentiunt.

Ad partum arte praematurum introducendum dilatatoriorum usus prorsus est rejiciendus repudiandusque. Ostendit Busch instrumentum ad dilatandum aptum, quod constat ex tribus cochlearibus, quae appropinquandis capulis inter sese discedunt, quod quidem optimum esset, nisi mechanismus ejus saepissime deficeret. Hoc instrumentum Steinbrenner digitis suis compensare conatus est primum per unum, deinde per duos, tum totam per manum uteri orificium dilataturus. Quamquam confitendum est, et Buschii dilatatorium et aptis occasionibus datis etiam Steinbrenneri digitum facile adhiberi posse, tamen hisce rebus aeque ac sponga cerata orificium uteri non dilatatur, sed modo irritatur. Quae irritatio quum saepe iterari debeat, quumque dilatatorium non omnia irritans gravidae magnos exhibeat dolores, Hohl et d'Outrepont fidem habere debemus, qui multis experientiis tot annorum instructi hanc methodum ut non idoneam repudient. Porro ut methodum aptam ad partum arte praematurum introducendum, irritationem consensualem uteri a mammis quidam commendaverunt, quae quidem jam pridem ad abortum efficiendum adhibita erat. Sed anno 1839 Friederichs, Anglorum nixus experientiis, qui in difficilibus

amenorrhoeis haec remedia prospere adhibebant, vesicantium et sinapismorum applicationem in mammas commendavit ad consensualem irritationem, qua partus dolores orirentur, neque minus Scanzoni mammarum consensu ceteris genitalibus fretus actus parendi irritatione nervorum mamillarium per instrumenta ad lac sugendum apta suasit, ut efficireretur. Ac profecto neminem unquam rationalem medicum artis obstetritiae fore spero, qui dolorosis atque incertis vesicantibus et sinapismis illius Friederichs et illi physiologicum parendi processum prorsus evertenti commendationi illustrissimi Scanzoni faveat. Si quis rectum judicium de hac Scanzoni operatione sibi afferri velit, videat medicorum Germann et Langheinrich experientias prospere factas, quas ipse Scanzoni in accessionibus quibus artem obstetritiam augebat, suscipere non dubitaret. Partus arte praematuri instrumentis ad lac sugendum idoneis supra modum adhibitis tamen demum post diem sextum usque ad decimum quartum evenerunt. Stomachi evacuatio dolores et indurationes mammillares, dolores partus spastici, deliria parentis, eventus hujus acutae methodi a viris supra commemoratis cognoscebantur, qui eventus operationem profecto commendare non possunt et dubitationes justas, quas illustrissimus Hohl de ea habet, plane excusant. Remedia dynamica ad partuum arte praematurum introducendum secale cornutum a Ramsbotham commendatum, Galvanismus a Schreiber commendatus quamquam prorsus rejici non possunt, tamen etiam haud sunt probabilia. Circumspicienti autem mihi postremo varias partuum arte praematurorum methodos remedia, quae certe et prospere adhiberi possunt, tantum punctio ovi involucrorum; spongae ceratae applicatio atque injectio uteri sese offerunt.

Directus tractus continuus forcipe factus.

Aggressurus autem ad operationem forcipe faciendam primum novissimo tempore ab Arneth commendato directo continuo tractui me favere non posse dicere debeo, quum rotationes et forcipis extrahentis motiones huc illuc factas multo meliores esse ducam neque minus armationem cingulo auxiliari a Bernhardi [4]) praecepto probem, quod in forcipe infixum medicus ita corpori suo accomodet necesse est, ut toto suo corpore trahere possit. Primum quod attinet ad illum directum continuum tractum Arneth affirmat, in hac re forcipem minus spatii occupare, quam in rotationibus et compressiones his effectas vitari. Dein autem Arneth ipse concedit, rotationes partum accelerare et A. F. Hohl, qui certe permultos partus in tot annorum spatio forcipe fecit, in libro suo de arte obstetritia miratur, quod forceps in rotationibus plus spatii occupet, in iisque compressiones eveniant, de qua re per tot annos forcipem rotans nunquam quid expertus sit; praeterea permulti alii quoque celeberrimi artis obstetritiae medici nunquam quid de compressionibus, quae forcipe efficiantur, commemoraverunt. Quin etiam ipse Arneth in casibus periculosis facit motiones perpendiculares, qua re illas esse meliores concedere mihi videtur, praeterea etiam altero forcipis cochleari ipso in transitu capitis per pubis rimam motiones facit, quae nihil aliud sunt, quam capitis huc illuc motiones. Ipsis enim rotationibus naturalem processum partus mechanismi quam verissime compensari volumus, et nemo erit, qui non intelligat ad capitis promotionem sine rotationibus multo majore virium contentione opus esse, capiti praejacentes molles partes

4) Bernhardi's Zeitschrift IV. 1. 1851.

promoveri et multo facilius comprimi quam in extractionibus per rotantes forcipis commotiones. Parvae enim et mites forcipis motiones perpendiculares et circulares fiunt tantum ad caput facile recteque promovendum, quas si quis recte adhibuerit nunquam ad violentum tractum refugiat opus erit, quod anno 1754 Deiker fecit, qui illustrissimo Hohl auctore, tanta traheret virium contentione, ut subito retro caderet, quum forceps resiluisset. Neque vero melius est cingulum auxiliare adhibere, quum modica tantum virium contentio sufficiat, si rotationes et motiones perpendiculares recte fiunt si omnino forceps recte adhibetur, quod praecipue pendet a recta capitis et pelvis cognitione atque ab accurata pelvis inclinationis observatione.

Tractatio feminae post partum violentum a Scanzoni et Seifert.

Tractationem feminae post violentum partum ei, qui in physiologia et therapia artis obstetritiae etiam aliqua ex parte tantum eruditus sit, haud esse difficilem profecto nemo erit, qui neget. Attamen Seyffert idemque aliqua ex parte ipse Scanzoni facere non potuerunt quin hac de re admodum miras censuras componerent. Vult enim Scanzoni fasciam abdominalem corpori accomodari, vaginam per „Tampon" impleri, impletionem secundo aut tertio die in levissima ad sanguinis profusionem inclinatione iterum adhiberi. Jam vero fascia abdominalis quamquam optime potest adhiberi, impletio tamen vaginae praecipue in levissima ad sanguinis profusionem inclinatione omnibus physiologicis fundamentis prorsus est contraria. Ubi enim lochia remanent? an uteri antrum impleant? Ac sanguinis profusio, quam

certe eventuram esse Seifert et Scanzoni censeant, prorsus necessaria est? ecquid omnino illi viri censeant, compressionibus superne atque ab imo factis post densam contractionem uteri corporis profusionem sanguinis prohiberi aut cohiberi? Multo etiam audacius autem Seifert uterum tractat, ut qui placenta remota sine discrimine frigidam aquam injiciens, postquam contractio maxima facta est, expansionem quandam, quae evenire possit, eo prohibeat, quod firma alligatura compressiva, super symphysin ossium pubis infixa et firmo quodam „Tampon" in vaginam injecto uterum superne atque ab imo comprimens uteri antrum plane deleat. Quam rudem operationem esse idoneam ad inflammationem, exulcerationem, gangraenam efficiendas quis non videt? Profecto difficile est ad intelligendum, quomodo nostris diebus, quibus artes atque litterae tantos progressus fecerint, viri, quibus civitatis vis, salus civium tradita est, eas operationes proponere possint, quas ipse artis obstetritiae imperitus toto pectore perhorrescit!

Embryotomia.

Atque etiamsi medici artis obstetritiae vitam infantis magis magisque in diem pluris habent, si manus instrumentis anteponere petunt, si embryotomia ab iis magis repudiatur, quam ab iis, quibus manus ac forcipis usus alienus erat, si mitioribus ac humanioribus partus methodis superata est, si novissimo tempore a Kilian inter artis obstetritiae operationes ita solum locum habere poterat, ut summa necessitate data, haec tristis operatio ita fieret, ut infans non comminueretur et dissecaretur sed tuntum ut abdominis et pectoris antrum aperiretur ad viam hucusque inpossibilem ad pedes infantis faciendam efficiendamque versionem, tamen nostris

diebus etiam quaedam embryotomiae genera invenimus, quae nobis afferunt memoriam illarum foedissimarum operationum Deisch et Mittelhäuser, tamen etiam invenimus medicos, qui intendant numerum instrumentorum ad tales operationes aptorum, quae quisque quam obliviscatur nihil prius atque antiquius habere debeat, novorum inventione augere. Imprimis autem duo sunt embryotomiae genera quae profecto digna sunt ut, quod hodie fastigium litterae enixae sint, penitus rejiciantur.

Decapitatio.

Decapitatio est vetus operatio quae praecipue novissimo tempore auctoritatem adepta est. Quamquam autem quum F. A. Hohl tum alii, qui artem obstetritiam profitentur, saepissime embryotomiam facere coacti essent, numquam tamen decapitationem fecerunt. Vix credibile videri potuerit, Naegele et Scanzoni antri abdominalis et pectoralis apertione cum sequente versione decapitationem multo facilius effici posse, affirmasse. Ipse Naegele dicit decapitationem multo facilius et cum minore gravidae periculo versione effici posse. Hoc tamen videndum est, in iis armorum sitibus, quibus collum facile capi possit, infans parvus quoque sit necesse esse, quia caput paene descendere nequeat, quamobrem hoc casu, versio antris et abdominali et pectorali aut apertis aut non apertis semper effici potest. Sin autem infans magnus est, pelvis arcta aut deformis, si armus infantis ad alteram partem inclinat qua caput ossibus innominatis impositum est, collum difficiliter et interdum prorsus non capi potest, quum collum antro humeri absconditum sit, quod dense et firme collo adjacet. In talibus rebus et in casibus moratis, ubi etiam incuneatio existit, bre-

viore tempore et cum minore gravidae periculo decapitatio minime facilius fieri potest versione, abdominali et pectorali antris antea non apertis. Ad haec impedimenta tollenda Paul Dubois praecepit hamo obtuso in collo infixo collum detrahere deinde sinistram manum eique impositam forficulam introducere in vaginam, qua durae et molles colli partes manu tuente dissecarentur. Sed si quis manu, hamo, forficula tam alte ascendere et totum collum ad acutam forficulam custodiendam circumire potest, altera manu etiam sola versionis causa in adversam pelvis partem intrare potest. Deinde autem corpore dissecato non omne caput retentum viribus naturalibus expellitur, quum extractio separati capitis tantis cum difficultatibus conjuncta sit, ut et veteres et nostri medici artis obstetritiae magnam copiam instrumentorem ad capitis extractionem aptorum invenerint, quorum tantum commemare volo Tire-tête ab Assalini, Kephalotryptorem alia. Chiari quoque neque minus Braun et Späth affirmant, instrumentis secantibus operationis periculum augeri, quamobrem Braun hamum clavi similem et in acie bulla quadam instructum ad decapitationem faciendam invenit, quem postea etiam Strenz commendavit. Illustrissimus Hohl miratur, quod in spatio trium annorum in viginti unis millibus partuum semel tantum decapitatio et illius Braun hamo reperto post primum annum jam ter facta sit et Braun in sua operatione tribus tantum hami rotationibus collum dissecuerit. Affirmat Hohl infantem jam putidum fuisse, cum non facile sit collum infantis maturi ad illius Braun modum disjungere, quumque ad collum disjungendum plus opus sit, quam manum quinquies usque decies circumvertere. Corpore parto quum forcipe et cephalotryptore uti possumus, avulsio capitis et idcirco ne capitatio quidem fieri potest. Postremo decapitatio in partibus deformibus

cum duobus capitiibus et in duplis deformibus partibus penitus rejicienda est.

Disjunctio columnae vertebralis.

Jam vero ad disjunctionem transeamus columnae vertebralis. Etiamsi magnus non putidus infans cum columna vertebrali incurvata in pelvem usque ad pelvis exitum progressus esset, si nemo manu neque ad pedes neque ad nates pervenire posset, si infans non procederet et versio spontanea non eveniret fortasse disjunctio columnae vertebralis haud supervacanea videri posset; attamen prorsus est rejicienda.

Symphyseotomia.

In numero earum operationum artis obstetritiae, quae novissimo tempore inventae sunt, ut mox rursus rejicerentur, etiam synchondrotomia sive symphyseotomia habenda est. Cujus autem priusquam ad explicationem atque ad judicationem transeam, nihil obstare arbitror, quin quaedam illius de inventione et historia praemittam. Ducentis jam annis priusquam haec operatio ipsa facta est, chirurgus quidam doctus Parisiensis Severinus Pinnaeus illius auctor fuit, quippe qui nisus illa causa physiologica, quae maximi momenti est, in graviditate succorum affluentia aucta cartilagines et ligamenta emolliri, affirmaret, ossa discuti, ipsumque pelvis spatium majus fieri. Cujus sententia quatenus recta sit, quatenus haud recta, alio loco in animo habeo explicare. Quin Baudelocque et Leroy demonstrant, jam ipsum Severinum Pinaeum in animo habuisse, symphysin ossium pubis discindere, hunc locum e Severini Pinaei opusculo physio-

logico et anatomico laudantes [5]): „Praeterea ignobiliores partes nobilioribus semper ministrant et obsequuntur, nec non continentes seu externae non tantum dilatari, sed etiam secari tuto possunt, ut internis succurratur, ut Galenus ait.“ Primam symphyseotomiam fecit Jean Claude de la Courvée inter mortuae partum ita, ut extractio quidem infantis prospere succederet, sed ipse infans lucem non conspiceret. Anno 1768 Parisiis a Jean René Sigault, qui in schola chirurgica erudiebatur, libellus ad chirurgicam academiam edebatur, in quo affirmabat, sectionem caesaream semper fere habere infelicem eventum, sive matri et infanti, sive matri aut infanti, et in ipso partu ossa pubis haud raro discerni, qua affirmatione commotus symphyseotomiam ut compensationem sectionis caesareae commendabat, etiamque forcipe se carere posse existimabat, cum illa mitis ac facilis operatio in omni capitis incuneatione adhiberi posset. Academia, quae hanc operationem non plane rejiceret, judicium suum tamen non dicere voluit, priusquam successus utilitatem ejus demonstrassent. Sigault, qui licentiam adipisci conabatur, in femina malefica capitis damnata operationem suam ostendendi, jure ac merito ab academia chirurgica repulsus prohiberi non potuit, quin loqueretur et scriberet ad suam methodum sectionis caesareae compensandae defendendam, praesertim cum P. Camper plane cum eo consentiret. Ipse etiam sejunctionem ossium pubis in partu difficili observaverat, atque operationem in hominibus mortuis et in viventibus suibus fecerat, ita ut putaret, hac operatione magnum spatium lucrificari, etiamque in suibus invenit, symphysin ossium pubis brevi tempore bene celeriterque persanari. Anno

---

5) Tom. II. Cap. X.

1772 Morand de la Roussière, 1776 J. Ripping [6]) se de operatione cum autore consentire indicarunt, ita tamen ut Ripping sententiam, magnum spatium lucrificari rejiceret. Baudelocque anno 1776 fuit contra eorum sententiam. Anno 1777 tandem Sigault occasionem quandam adeptus erat operationis suae faciendae: Femina quaedam Souchot triginta annos nata quater difficilibus versionibus partu erat levata, et semper mortuum infantem pepererat ita ut Sevret existimaret, post proximam graviditatem feminam Souchot tantum sectione caesarea partu levari posse. Sigault autem synchondrotomiam prospere fecit, ita ut ipse ovi involucra discuteret ejusque socius Seroy infantem, cujus pedes praejacebant, extraheret. Operatio et partu leratio in spatio quatuor usque ad quinque scripulorum erant finitae. Sigault, qui in obscuro operationem fecit et sine cultro idoneo collum vesicae etiam violavit, maxime gaudio affectus fuit, quod operatio optimum habuit successum et matri et infanti. Operatio omnino septies et quinquagies facta est, nam infelix ejus eventus mox indicavit, eam prospere adhiberi non posse, cum editus infans tantum pauca scripula, mater nonnullos dies post operationem vitam haberent. In feminis Blandin et Verderais [7]) Sigault operationem matribus prosperam fecit, quamquam prohibere non potuit, quin infantes mox vitam perderent. Collet et du Belloy [8]) feminas Leroy symphyseotomia partibus levabat ita ut matres et infantes vitam non

---

6) J. Ripping dissert. obst. med. sist. quasdam de pelvi animadversiones Lugd. Bat. 1776.

7) De sectione symphysis ossium pubis admittenda Lut. Paris 1778. Baudelocque l'art des accouchements. Tom. II.

8) Observations et reflexions sur l'opération de la symphyse et les accouchements laborieux par Alph. Leroy.

amitterent, sed inventum pelvem utriusque multo majorem fuisse, quam Leroy affirmaverat, et infantem du Belloy perpaucum. Postea etiam ipse Sigault suae operationi diffidebat et quamquam Leroy assidue eam defendebat, auctoritatem tamen ei conciliare non potuit. Anno 1809 a Gardien et postea a Dubois iterum ista operatio adhibita est, sed frustra, donec anno 1828 Stock medicus parvae urbis ad Mosellam sitae, ultima symphyseotomia in parente quadam adhibita infantem perforatum extraxit.

Postqnam igitur, quam optimum potui historiam hujus operationis complurium operum [9]) studio composui, liceat mihi transire ad brevem descriptionem, quomodo operatio, de qua agimus, facta et ad finem perducta sit, aut si quis medicus, qui artem obstetritiam profitetur, indicationem ejus invenerit, fieri debeat. Cum symphyseotomia ut operatio obstetritia jure ac merito sit rejecta, omnino ipse huic operationi adesse non potui, quippe quum etiam viri celeberrimi et doctissimi, qui artem obstetritiam profitentur, in libris suis accuratam operationis descriptionom praebuerint. Quaecunque igitur hac de re dicere possum, verba sunt magistri mei viri spectatissimi doctissimique professoris illustrissimi Hohl, qui in libro suo manuali [10]) artis obstetritiae haec dixit.

Nach Entfernung der Haare wird der Schaamberg mit einem bauchigen Bistouri an der Stelle der Schaamfuge durchschnitten und dabei die Clitoris mit dem Zeigefinger gedeckt und nach unten gezogen. Sind die

9) Handbuch der Geburtshülfe von Hohl. Leipzig 1855. Geschichte der Geburtshülfe von Ed. Casp. v. Liebold. Handbuch der Geburtshülfe von E. v. Liebold.

10) Hohl, Handbuch der Geburtshülfe. Pag. 1093. §. 305.

Bänder, welche die Schaamfuge bedecken, durchschnitten, so wird ein Catheter eingebracht und mit diesem die Harnröhre zur Seite gedrückt. So folgt nun die Durchschneidung der Schaamfuge selbst und der an ihrer hintern Wand befindlichen ligamentösen Ausbreitung. Bei Verköcherung soll man sich der Kettensäge bedienen.

Aggredienti autem mihi ad operationis judicationem hae sese offerunt partes, ut primum ipsam operationem, illius imprimis a Sigault tam gloriose et celeriter factae primae operationis ratione habita, deinde operationem generatim atque universe illustrem, postremo indicationes symphyseotomiae positas judicem. Auctores primae operationis a Sigault factae sunt Sigault et Leroy, si pauca a collegis academiae, qui convalescentem feminam Souchot observari jussi decepti sunt, scripta exceperis. Ad illam operationem praemio afficiendam in honorem illorum virorum argenteus quidam nummus cusus est, cujus in una parte nomina Sigault et Leroy, in altera nomen illius, qui tunc erat decanus, expressa erant. Primus Piet contra Sigault agens eum coarguit, quod operationem non rebus coactus, sed gloriam adepturus suscepisset, et ad sententiam suam confirmandam haec attulit: Primum quod attinet ad anamnesin concedit quidem, feminam Souchot quater conversione mortuo infante levatam esse; de duabus partu levationibus Piet certior factus est, quum ad primam a Sigault ipso advocatus ipse conversionem fecerit. Infans mortuus quidem erat, sed magnus, et nervus umbilicaris per complures horas praejacuerat. In quarto partu levatione auxilium praematurum advocandis compluribus medicis retardata est. Quintus tandem infans parvum caput habens forcipe facile extrahi potuit. Ipsam operationem Sigault fecit paullo lumine admoto, per cultrum non idoneum, in loco falso, cum Leroy infantis pedes ex-

plicabat, quae omnia fiebant in temporis spatio quattuor usque ad quinque scripulorum. Quis est autem, qui audeat existimare, virum, qui per totum vitae curriculum summam industriam in operatione quadam introducenda et perducenda consumserit, data occasione, eo tempore, quo vincere aut a praejudicata opinione abstinere debeat, operationem tam gravem ac difficilem sine lumine et cultro, quibus opus erat, esse facturum? Quis tandem, qui paullulum tantum certior factus est, de symphysis anatomicis conditionibus, de effectionibus instrumentorum chirurgicorum, de faciendis in arte obstetritia operationibus, quis quaeso tam stupidus, tam hebes fuerit ad intelligendum, ut non mecum consentiat, si contendo, haec omnia in temporis spatio quattuor scripulorum prorsus fieri non potuisse? Contra vero cum Piet censere debeo: Sigault gloriosam descriptionem et Leroy magnam laudem falsas fuisse, praesertim quum Piet etiam diutius quam Sigault operationes observaret. Si Sigault refert, feminam Souchot tantum paullum mariti brachio nisus in sessionem facultatis venisse sese convalescentem praebentem, si Sigault porro illam dicentem facit, se vetere malo e coxa laborare, se ire sine ullo dolore, se semper fere urinam retinere posse; Piet contra demonstrat, feminam Souchot ad illam facultatis sessionem nisam brachiis duorum hominum portatam esse, modo difficiliter ire eam nec urinam retinere potuisse, antea nunquam e coxa laborasse, praeterea in interiore fine sectionis fistulam ortam esse, quae nunquam facta sit sana. Praeterea Souchot feminae tristem valetudinem inter multos alios Joh. Hunczovsky [11]) Austriacus chirurgus confirmat, qui decem mensibus peractis post operationem oculis eam conspicie-

---

11) Joh. Hunczovsky's medicin. u. chirurgische Beobachtungen auf seinen Reisen durch England u. Frankreich. Wien 1783.

bat. Porro si consideramus, quomodo aequales de Leroy chirurgo judicaverint, quorum tale judicium, ut nulli homini persuadere possit, eum res veras retulisse, quum ab illis vir elatus et gloriae atque honoris cupidissimus habeatur ex hisce omnibus constare arbitror, gloriosas laudes hujus operationis multo majores fuisse, quam quibus illa re vera digna fuerit. Sed satis haec de operatione illa a Sigault facta atque ad ipsam operationis censuram transeamus.

Vehementissime contra hanc operationem agebant omnes fere collegae academiae chirurgicae, quorum nomina sunt Louis Pellatan, Lauverjat, Baudelocque etc. Item apud alios populos operatio non prospere facta est, quum in Germania complures medici Ludw. Schmidt Gissensis [12]), Scheyring Friburgensis [13]), K. de Krapf Austriacus [14]) alii eam rejicerent. Sententia autem viri illustrissimi Baudelocque optima mihi esse videtur, quippe qui demonstret, in illis quinquaginta et septem operationibus aut matrem una cum infante, aut, ut plerumque factum sit, vita matris breve tempus servata, solum infantem periisse et cum matre tum infante servatis, operatione opus non fuisse. Porro si comparamus symphyseotomiam

12) Spec. med. chir. de nuper proposita sectione synchondroseos ossium pubis in partu difficili nonnulla propones defendit J. Ch. Ludw. Schmidt. Giss. 1777.

13) J. Scheyring de sectione synchondroseos ossium pubis operatione chir. prima a Galliis a D. Sigault facta. Frib. Brisg. 1778.

14) Anatomische Versuche und Anmerkungen über die eingebildete Erweiterung der Beckenhöhle in natürlichen, und angepriesene Durchschneidung des Schaambeinknorpels in widernatürlichen Geburten, mit daraus gezogenen Lehrsätzen von K. v. Krapf. I. Theil. Wien 1780. II. Theil. 1781.

cum sectione caesarea, quacum operatione Sigault methodus saepissime potest comparari, profecto nemo erit, qui neget, in utraque operatione pares esse dolores, in utraque operatione prognosin matri malam esse, infanti tandem in sectione caesarea prognosin meliorem faciendam esse, quam in synchondrotomia. Porro si personam, in qua sectio caesarea prospere facta est, componimus cum persona, in qua synchondrotomia facta sit, quam differentiam observare debemus? Illa ire ita potest, ut nulla re niti se opus sit, intestinorum et vesicae functiones secundum ordinem fiunt, ipsa est bona valetudine et satis valida ad in proximo partu sectionem caesaream sustinendam. In alia autem quas indicationes reperimus? Ipsa convalescens tristissimi generis, itus ligamentis discussis molestus, sanatio symphysis ossium pubis haud conspicua, caries in ossibus pelvis, incontinentia urinae. Sin autem Sigault operatio adhibitur, etiam hoc inveniri potest, quod symphysis ossium pubis ossificata est, quam rem Sigault superari vult, adhibita serra catenali. Ossificatio autem interdum cum tantis difficultatibus conjuncta est, ut serra catenali abstineri opus sit, quum etiam Bonnard symphysin ossium pubis dissecare frustra conatus sectionem caesaream postremo facere coactus esset. Si symphysis sacro-iliaca ossificata est, quod in pelve feminea saepissime fieri solet, tam parvum spatium, si Crève [15]) sequimur, lucrificatur, ut infans tantum difficillime possit extrahi, praesertim quum ossificatio symphysis sacro-iliacae antea percognosci non possit; sin autem ossificatio prorsus non est, hac per semet ipsa dolorosa operatione in pelve tam parvum modo spatium lucrificatur, ut ossa pubis per vim removeri debeant, quare fa-

---

15) Krankheiten des weiblichen Beckens. Berl. 1795. §. 144. 145.

cile fieri potest, ut symphysis sacro-iliaca discutiatur. Si supra judicia et argumenta contra Sigault operationem virorum doctissimorum et illustrissimorum Hohl et Siebold attuli, liceat mihi etiam nunc afferre petitionem quandam Wendelstädtii [16]), qui actum maximae humanitatis commendet, si summum regimen medicum in omnibus casibus synchondrotomiam adhiberi vetet, et si tamen adhibeatur, operatio instar caedis puniatur. Ac si prorsus negari non potest, hanc petitionem justam defendi posse, ego tamen saltem dicendi genus in ea rejicere debeo. Non opus erit, aliud quid afferre quam quod quicunque artem obstetritiam profitetur, nihil prius atque antiquius haberi debet, quam ut et matris vitam servet et infantis quum nulli sane homini in mentem venturum sit, operationem synchondrotomiae instar caedis tentatae esse habendam.

De indicationibus autem haec sufficiant: Sigault affirmat, sectionem caesaream sua operatione compensari. Jam vero si sectio caesarea absoluta pelvis arctitate indicata est, symphyseotomia illam nunquam potest compensare, etiamsi illa non ita dolorosa sit, siquidem conjugatae propagatio nonnullis lineis, quam synchondrotomia efficit, in absoluta pelvis arctitate in partum vim ac momentum habere prorsus non possit. Deinde si sectio caesarea indicata est, quoniam perforatio infantis viventis contra indicata est, profecto nemo in dubio esse potest, num synchondrotomiam adhibeat; utraque enim operatio est eodem dolore, eodem matri periculo, iisdem difficultatibus. In sectione caesarea est prognosis vitae infantis faventior, quam in symphyseotomia et vita infantis satis certe conservatur, contra vero in symphyseotomia in-

16) J. H. Kopps Jahrbuch der Staatsarzneikunde. 4. Jahrgang. Frankfurt a. M. 1811. Pag. 54.

fans eo facilius vitam amittit, quo arctior pelvis est. Si mater sectionem caesaream fieri non vult, profecto etiam synchondrotomiam fieri non vult, sin autem causis, quae cogitari non possunt, caesaream sectionem fieri non vult, contra vero synchondrotomiam, synchondrotomia tamen non est indicata. Medicus bonae conscientiae matri aut concedet, infantem perforare, aut non si concedet profecto non cultellum curvatum adhibebit, neque certam matris et infantis mortem certae servationi matris et constitutae perforationi anteponet. Si medicus facere non potest quin viventem infantem perforet, facietne is operationem, qua infantem non multo minus certe interficit, quam perforatione, talem operationem, quae eum postremo, impedimentis aliis subito subjectis, etiam sectionem caesaream aut perforationem facere cogit? Omnino igitur symphyseotomiae etiam una tantum indicatio poni non potest, qua re in numero operationum artis obstetritiae prorsus non habenda est, sed modo hac de causa facta est, ut in artis obstetritiae historia tractetur. Baudelocque, Fr. B. Osiander, Busch, Scanzoni, K. v. Krapf, alii, lumina artis obstetritiae, in quibusdam casibus indicationes quasdam posuerunt, quae quatenus rectae sint, quaternus falsae, tantorum virorum ratione habita, stricte monstrare non ausim, siquidem hac in re magistrum meum illustrissimum Hohl [17]) sequar, qui nusquam et prorsus non indicationem symphyseotomiae invenit, et quasdam quorundam casuum indicationes positas refutavit.

---

17) Hohl, Handbuch der Geburtshilfe. §. 304. Seite 1090 ff.

Pelviotomia.

Si supra demonstratum est, quam levis et simplex, symphysiotomia per semet ipsa sit, mirabile est, adquas aberrationes etiam majores quidam transierint. Primam affero illam methodum Angli John Aitken, qua embryotomiam et seetionem caesaream compensari vult. Si omnino praecepta ejus leviora sunt, si symphyseotomiam sequens inter undeviginti ab eo inventa instrumenta artis obstetritiae cultrum etiam operationi illius Sigault invenit, sententia ejus, quae nunc sequitur, nihil stultius inveniri potest: Commendat enim in magna pelvis arctitate totum os pubis in fine utriusque horizontalis et decurrentis rami serra excecare, deinde ossa sanando rurrus infigere, sed supra fines ossium firme stantium, ut proximo partu satis spatii relinquatur. Quae operatio, qualis sit, testatur haec res, quod hucusque hanc operationem, quae pelviotomia nominari possit, nemo dignam habuit, de qua quid scriberet. Osiander tantum narrat, John Aitken anno 1790 delirio affectum mortem sibi conscivisse, putans hoc factum multos ejus mirificas aberrationes paullulum excusare, quae certe in delirio sint scriptae. Propositio Aitken etiam facta est per Pitois anno 1831, de quo nihil magni momenti referri potest. Contra vero memoria facienda est Galbiati Neapolitani, qui non modo vellet, sectionem caesaream in numero operationum artis obstetritiae prorsus non haberi, qui non modo usque ad nostrum tempus symphyseotomiam defenderet, ipsamque faceret, verum etiam multo crudeliorem operationem inveniret, de qua satis dixisse mihi videor, si hoc judicium illustrissimi Hohl commemoravero, qui hanc operationem insaniae appropinquare dicit. Galbiati symphyseotomiam haud

prospere cum fecisset, anno 1824 novam quandam operationem proposuit, quam anno 1832 re vera fecit eamque non prospere, quippe quum pelvem adversam in quinque locis serra exsecaret, symphysin ossium pubis, ossa pubis, ossa ischii. Vix credibile videri potuerit, tales in litteris atque artibus aberrationes evenire posse, quum ex historia in promptu sint luculentissima argumenta semper fieri solere ut ipsam ad summe absurdarum atque ineptarum rerum ab aliquo propositarum imitationem semper plerique homines sese contulerint.

VITA.

Natus ego sum, Gustavus Joannes Jacobi, Rothenbergae die III. m. Augusti 1834 patre Frederico, rerum ecclesiasticarum superintendenti, matre Carolina e gente Hinze quos ego christianus parentes adhuc vivos pio animo veneror. Primis litterarum elementis domi imbutus Portae scholam adii, gymnasia Halense, Vitebergense frequentavi et 1855 testimonio maturitatis munitus academias Berolini, Gryphiae et Halis visi.

Inter studiorum annos hasce audivi scholas Berolini: Ill. V. V. Dove physicen et meteorologiam; Werder: psychologiam et logicen; Lichtenstein: zoologiam; Al. Braun: botanicen; Weiss: mineralogiam; Mitscherlich: chemiam anorganicam; Schlemm: splanchnologiam, osteologiam, syndesmologiam; J. Müller: anatomiam universalem et anatomiam organorum sensuum, physiologiam generalem et specialem; Schultz-Schultzenstein: encyclopaediam et methodologiam artis medicinae.

Gryphiae: Ill. V. V. Hünefeld: chemiam organicam et analyticam, Budge: artem cadavera dissecandi, neurologiam et angiologiam, anatomiam microscopicam; Haeser: materiam medicam, pathologiam et therapiam generalem; Niemeyer: pathologiam et therapiam specialem, morbos organorum uropoët; Bardeleben: ophthal-

miatricam artem, fracturas et luxationes; Pohl: anatomiam pathologicam, artem fascias rite imponendi; Doct. Bengelsdorf: artem formulas medicas praescribendi.

Halis: Ill. V. V. Blasius: de chirurgia speciali et generali, de chirurgia herniarum, de akiurgia, de fracturis et luxationibus, de arte fascias rite imponendi, de operationibus oculorum; Ill. Hohl: de arte obstetricia; Vogel: de morbis venereis. Scholis clinicis interfui chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Blasius, obstetriciis Ill. Hohl, medicis Ill. Vogel.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas habeo semperque habebo. Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis spero fore ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Extractionem forcipe factam sine rotationibus repudiandam esse.

II.

Fere omnes, quas recentiores proposuerint, abortus artificialis indicationes rejiciendas esse.

III.

Operationem hydroceles per incisionem factam injectionis methodo praeferendam esse.

IV.

Anceps remedium melius nullo.